



IV 201

DISSE R T A T I O
M E D I C A I N A U G U R A L I S ,
E X H I B E N S
P L E T H O R A M
B E N E A D M O D U M C U R A R I P E R
V A S O R U M D E P L E T I O N E M ,
Q U A M
U N A C U M S E M I - C E N T U R I A
T H E O R E M A T U M M E D I C O R U M
A U X I L I O D I V I N O ,
S A N C T O R U M Q U E P A T R O N O R U M
C O S M Æ & D A M I A N I
E X
U N A N I M I I N C L Y T Æ F A C U L T A T I S M E D I C Æ
C O N S E N S U
I N A L M A E O O - F R A N C I C A W I R C E B U R G E N S I U M
U N I V E R S I T A T E
P R æ S I D E
P R æ N O B I L I , C L A R I S S I M O , A C E X P E R I E N T I S S I M O
V I R O & D O M I N O

D. G E O R G I O L U D O V I C O H U E B E R ,
Philosophiæ & Medicinæ Doctore , Anatomia & Chirurgiæ
Professore Publico & Ordinario , Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I.
Principis , Episcopi Wirceburgensis , Franciæ Orientalis Ducis &c. &c. Consiliario ,
Patrono suo ad cineres usque venerando ,
Exantlatis de more rigidis Examini bus
P R O S U P R E M A D O C T O R A T U S M E D I C I L A U R E A ,
A N N E X I S Q U E P R I V I L E G I I S R I T E C O N S E Q U E N D I S
Publico Eruditorum Examini submittit
A U T H O R

J O A N N E S J A C O B U S N E Y D E C K , Confluentinus ,
A A . L L . & Philosophiæ Baccalaureus , Medicinæ Candidatus Emeritus .
Loco & Horis consuetis Die 31. Augusti MDCLII.

WIRCEBURGI , Typis Joan. Jac. Christoph. Kleyer , Universitatis Typographi .

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S.R.I. PRINCIPI
AC
DOMINO,
D. CAROLO
PHILIPPO,
D. G. EPISCOPO
WIRCEBURGENSI,
FRANCIAE ORIENTALIS DUCI
&c. &c.

*DOMINO DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.*

Med. V. 201

^{sc}

1372 466 01

O REVERENDISSIME
AC
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
CLE MENT ISSIME!

P rincipalis Clementia TUA, Reverendissime ac Celsissime Princeps! quâ literas Literatosque Amplissimus Mecœnas fovere hactenus consuevisti, animos

*mos quoque mihi addidit, exiles has pagellas
sacratis TUIS manibus ingerendi. Ne mi-
rere, PRINCEPS CLEMENTISSIME!
quod extraneus accedere ad Ducale solium
TUUM præsumam, cùm enim solem astro-
rum principem imitari soleas, quem non vi-
cinis tantum torridæ Zonæ plagis lucem, be-
nignosque radios, sed remotis quoque dispen-
sare pari munificentia novimus, latè paten-
tis Clementiæ TUÆ partem aliquam dabis
peregrino, qui totus esse TUUS, totus TUIS
mancipari obsequiis enixè desiderat, rogátque.*

*Folia, quæ Celsissimo Nomi TUO in-
scribere audeo, Medici laboris mei primævi
fructus sunt; & verò, cuinam illos, nisi
Reverendissimæ Celsitudini TUÆ consecrem,
cujus munificis Favoribus fœcundati pullulâ-
runt.*

Profecto gratioſſimā adhucdum memoriā
universi Medicinæ cultores repetimus Decre-
ta ſaluberrima , quæ in ſtudii bujus bonum
Universitatis Herbiſolensis Restaurator ſa-
pientiſſimus fanxiſti , pretioſa ſubſidia , quæ
ſtudentium rationibus , commodiſ , utilitati-
būſque in Anatomicis non minūs ac Chemicis
impendiſti , curas tum ſingulares , tum per-
petuas , queis plurima inter Principalis Re-
giminis TUI negotia profectus noſtros pro-
moviſti hactenus , conatus potentibus Princi-
palium gratiarum ſtimulis animaſti . Favores
in rem Medicam tanti tamque exigui docu-
menta ſunt ſapienſiæ & eruditio niſ TUA ,
quam in ſubtiliſſimo Philofhorum Primipilo
quondam ſuſpexit Moguntia , in Juriſperito
ſagaciſſimo laudavit Herbiſolis , in profundo
Theoſopho Roma obſtupuit , quam ſubjecto
modo

modo Franconia TUIS legibus gubernata complectitur, exteræ passim gentes admirantur. Nimirum sapiens Ipse cùm sis, subditos quoque TUOS sapientes optas literatosque, ac iis quosdam è copioso sapientiæ fonte (quem totum contines) velut rivulos communicatos cupis.

Quare patere, REVERENDISSIME ac CÈLSISSIONE PRINCEPS! ut gratiam, quâ beare alios iteratâ jam vice dignabâre, meis quoque pagellis exorem, inde felicitatem non mediocrem consecutus, si gratiofissimo eas annutu comprobaveris. Materiem de Plethorae providâ per actualem vasorum depletionem curatione pertrauant, quantum ego quidem assèquor, vitæ humanæ perutilem. Faxint Superi, ut, quam in aliis operâ nostrâ incolument volumus pretiosam vitam,

tam, ea in TE nullis unquam morborum insultibus labefactata, largis verò desuper benedictionibus cumulata perennet. Ita demississimè vovet

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS
TUÆ

Servorum infimus
JOANNES JACOBUS NEYDECK,
Medicinæ Candidatus Emeritus.



INGRESSUS.

Prodiit nuper hic Wirceburgi in lucem publicam Dissertatio Medica Inauguralis Theorico-Practica, exhibens Plethoram malè curari per Inediam. Bipartita hæc Dissertatio primò docebat, quid esset Plethora, & quotuples illa; Hanc verè dari à parte rei; assignabat porrò, quenam illa essent, quæ ad Eius generationem facerent; Ista, ubi semel in corpore vivo & sano ope vasorum & viscerum tum Chyloperorum, tum Hæmatoporum fortium, ex assumptis blandis majorem Chyli sanguinisque boni copiam præbentibus nata, quomodo imposterum sustentaretur, augmentareturque; iterum quod, quanquam de Plethorâ ex suis causis generatâ & sustentatâ dici, forsitan & concedi posset, sub actuali Eiusdem præsentia qualemcunque sanitatem adhucdum adesse posse, & illud tamen inficias iri nequaquam debeat, statum ejusmodi Plethoricum periculosum admodum esse, cum, ubi quæcunque causa movens Ipsi accesserit, non possent non insequi in

A

corpore

corpore vivo pessimi effectus, qui, sicut penè multi
sunt, & varii, ita plurimis, iisque gravissimis
morbis portam aperirent latissimam. Tandem &
secundò Dissertatio ista solidissimorum argumentorum
robore non minùs, quam Medicorum longè famosissi-
morum in genere, Ipsius autem magni HIPPOCRATIS
in specie auctoritate contra HELMONTIUM, ERA-
SISTRATUM & WALLÆUM, horūmque sectatores satìs
evicit, Plethoram santicam redditam malè omnino
curari per Inediam, quam Ipsi subintelligebant, stri-
ctè talem. Doctrinam hanc non inanibus speculatio-
nibus, aut quibuscumque subsumptionibus ac deduc-
tionibus superstructam, sed experientiæ planè con-
sonam, & cum phænomenis morborum à Plethora
ortorum practicis undeaque connexam, atque ad
rationalem eorum Therapiam prorsus accommoda-
tam esse, quemadmodum quivis æquus rerum arbit-
ter facilè unà mecum judicabit, ita, dum mihi pro
Specimine Inaugurali brevis quædam Dissertatio ex
obligatione concinnanda esset, operæ pretium duce-
bam, si doctæ hujus pertractionis continuationem
præsumens assignarem, quomodo Plethora nunc no-
xia facta, atque ex suis causis probè cognita, per
actualem vasorum depletionem benè admodùm curari
valeret. Tu interim, benebole Lector! conatibus
hisce meis arride, mihiq[ue] talia scribenti
favens, vale.

DISSE



DISSERTATIONIS MEDICÆ INAUGURALIS
THEORICO - PRACTICÆ
EXHIBENTIS
PLETHORAM BENE ADMODUM
CURARI PER VASORUM
DEPLETIONEM.

CAPUT I.

§. I.

DUplex est scopus, ad quem universa Artis Machao-niae præcepta collimant; cuius alter Præservato-rius, Curatorius alter audit: Prior ille sicut unicè & præcipuè intendit sub actuali sanitatis (quâ inter bona corporalia mortalium generi nihil aut majus exoptari forsan potest, aut præstantius) præsentia morbos in temperie, tanquam in semine latitantes, & ab accedente causâ movente facillimè excitandos præcavendo, siccque vi-

tam à morbis immunem servando disponere queat ad longævitatem; ita Posterior Hic totis viribus eò allaborat, ut in his, qui à statu sano recedentes ægri facti, vires vitæ superstitis conservando, causas morbificas tollendo, ipsum morbum afferendo, ac denique præsentes morbi effectus vel mitigando, vel planè abigendo, sanitatem, quantum in Artis Medicæ potestate est, restituere valeat.

§. II.

TOtuS verò hic scopus ut feliciter obtineatur, necessaria sunt instrumenta quædam, Auxiliorum, Juvantium, Remediiorum aut Medicamentorum nomine passim venientia, quorum judiciosa selectione, doctâ adaptatione, peritâ certo ordine, convenienti tempore, debitâ dosi, applicatione effici demum debet, ut præsens vita sana conservari, labefactata autem restaurari possit.

§. III.

AUXILIA sive JUVANTIA talia ex triplici (prout Scholæ Medicæ loqui solent) fonte, Diætetico scilicet, Chirurgico & Pharmaceutico hauriri debere, nemini non Medicorum Practicorum notum est & perspectum. An, quid & quantum ad Plethorae simplicis tam præservationem, quam Ejusdem per rarefactionem ac motum fonticæ redditæ curationem fons Diæteticus & Pharmaceuticus contribuant, nolim in præsenti inquirere, sed illud solum annuere mihi hic animo sedet, quod pro utroque hoc scopo feliciter obtinendo citiora æquè ac certiora auxilia ex fonte Chirurgico desumantur.

§. IV.

§. IV.

DE Chirurgiâ illud per quandam velut Parenthesin memorandum venit, quod, sicut Illam antiquitate gloriosam, ita & activitate pluribus in casibus usque victoriam fuisse, prisca Scriptorum monumenta referant.

§. V.

AC primò quidem antiquitatem Chirurgiæ quod concernit, præterquam quod Hanc Ipsam primam & antiquissimam Medicinæ Præticæ partem fuisse, in ipso Præfationis suæ exordio expressis verbis CELSUS memoret, id ipsum facilem etiam insuper assensum meretur; Enim verò, cum primi hominum parùm vestiti nudi propemodùm incederent, tuguriola atque antra incolerent, verosimiliter omnino putandum, eos plurimis externis corporis injuriis vixisse expositos, dum econtrà sub antiquâ illâ vietûs ac morum simplicitate affectus interni non tam frequenter obvenirent, obvenientes autem forsitan ob causarum internarum, quam remediiorum Pharmaceuticorum tunc temporis ignorantiam medelam difficultius admitterent, laesiones verò auxilium Chirurgicum exposcentes, utpote sensibus externis magis obviæ non tantum indicationem auxilii, sed & applicationem remedii promptius aperirent.

§. VI.

VErùm ut porrò ac secundò nemini non ocyùs patescat, quantæ virtutis & efficaciam sit nobilissima hæc Medicinæ Præticæ pars Chirurgia, legamus tantum Medicorum facilè Principem HIPPOCRATEM in Libris suis Aphoristis, in specie autem in Sect. VIII. Aphor. VI. dilucidè ita

scribentem : *Quoscunque morbos medicamenta non sanant, ferrum sanat; quos ferrum non sanat, ignis sanat; quos verò ignis non sanat, hos sanari non posse putato, vel hos incurabiles existimare oportet.*

O Artem longè efficacissimam, quæ juxta Magni Hujus Medicinæ Statoris, dicam, an Restauratoris testimonium multipli experientiâ corroboratum ea corporis vivi mala, quæ, dum satis rebellia sunt, & adeò sæpè refractaria, ut nec exactissimæ Diætæ, nec selectissimorum licet Pharmaceuticorum remediorum usù debellari aut superari possunt, demum ope suâ curare, si tamen curabilia sint, potens enunciatur. En! quomodo, dum præpotentis Chirurgiæ prærogativam deprædicare præsumo, non tam metuendum habeam, ne quid comminiscar precarii, quâm ne quid prætermittam necessarii.

§. VII.

AD debitos calles, à quibus paulisper digressus fuisse, forsan cuidam videri possem, revertor, nimirum ad Plethorañ bene admodùm (prout in fronte Dissertationis hujus meæ præfixi) curandam per actualem sanguinis superflui depletionem.

Hoc ipsum ut absque ullis verborum ambagibus mox faciliùs evincam & feliciùs, illud solùm memorâsse juvabit, quod Therapeuta nunquam citius, tutius ac jucundiùs morbos à Plethorañ oriundos aut præservet, aut curet, quâm si Naturæ, sive (ut RRbus loqui placet) vis vitæ superstitionis methodum, quâ Illa hos ipsos vel præservare, vel curare consuevit, exactè imitetur. Jam verò quis Medicorum Practicorum non novit, productos à Plethorañ rarefactâ morbos etiam gravissimos per subsequas hæmorrhagias spontaneas toties levatos fuisse, sanatosque.

§. VIII.

○ ○ ○

§. VIII.

TRia autem sunt loca solenniora, per quae sanguinem su-
perfluum frequentius ab ipsâ vi vitæ superstitis auto-
craticè, & cum alleviatorio quodam effectu excerni obser-
vamus, nimirum nares, orificium intestini recti, & uterus.

Variant tamen hæc ipsa loca pro variâ variarum æta-
tum & sexûs conditione, adeò, ut nonnisi in certis ætatibus,
in certo sexu alteram præ alterâ fieri experiamur.

§. IX.

SIc, quæ annis pueritiae, & ex parte adolescentiae contin-
git excretio hæmorrhagica, fit ex naribus, per quam
actualem sanguinis quidem boni, sed superflui & rarefacti
excretionem dolores capit is, sive Cephalalgiam sanguineam,
rubores & inflammationes oculorum, aurium quoque, fau-
cium atque dentium similiter dolorifica & inflammatoria pa-
themata, ulcerationes capit is, apostematodes glandularum
circa, aut retrò aures affectus, & reliqua mala ætatibus hisce
familiaria à Plethora tamen oriunda vel præservari, vel no-
tabiliter mitigari ferè indies constat.

§. X.

Virilis ætas, ea nempe, in quâ sanguis abundans est & su-
perfluous, an non ad hæmorrhoides propriis inclinat
externas & internas? Internarum si eruptio moderata fiat,
atque procedat ordinata, an non accusata hucusque tormi-
na colica, varias alvi modò adstrictiones, modò fluxiones,
hepatis & lienis infarctus, tussim hypochondriacam, & alia-
rum plurimarum molestiarum ac difficultatum ulteriorem
pro-

proventum æquè ac sensum successivè sive imminui, sive tolli accurata observatio docet?

Quibus verò per externas hæmorrhoides contingit eruptio, an non sub & post debitum ac rectum earum progressum, dolores, de quibus anteà multùm conquerebantur, dorsales, lumbares ac Ischiaticos, femorum & crurum stupores, sensibilissimos ani tenesmos & pruritus, similèque plures molestias aut plurimùm mitigari, aut planè terminari non infrequeuter audimus.

§. XI.

LUculentissimum præ omnibus de veritate incumbentis mihi probationis specimen præbent hæmorrhagiae ute-rinæ mulierum, ad quas sicuti fœmellæ intra certos annorum terminos constitutæ totâ suâ naturâ destinatæ sunt, ita, quando hæ legitimè ac placidè pro- & succedunt, bonâ plerumque, cæteris paribus, sanitate fruuntur; sicubi verò & vicissim earum aut tardationem, aut inordinationem, tantò magis autem suppressionem, vel ob præpeditam viarum libertatem, vel ob sanguinis immobilitatem, vel alias quascunque causas præmaturè incurrint, an non dolores tensivos, pressorios, lancinantes ac æstuantes, spasmos, affetti hystericos, molimina hæmoptoica, cruoris vomibunda, pathemata hypochondriaca, subinde etiam planè deliria hypochondriaco-melancholica, anxia, meticulosa, infidiarum, carcerum, tenebrarum, & funestarum mortis violentæ subeundæ periclitationum formidine plena, Chlorosin, Cachexiam, imò Ascitem seriùs ocyùs insequi, multiplicis experientiæ suffragio convicti novimus?

§. XII.

§. XII.

QUOD ea, quæ hucusque de hæmorrhagiis spontaneis pro variâ ætatum ac sexûs conditione, stante & prædominante Plethora spонтè cum euphorîâ, sive alleviatorio effectu subsequentibus recensita sunt, verè & constanter ita se habeant, ulteriùs dispalescit ex hæmorrhagiis arbitrariis, artificialibus nempe sanguinis emissionibus temerè etiam inconsultéque non raro primùm suscepitis, quarum si qualisunque consuetudo inducta fuerit, postmodùm verò negle-ctus fiat, non solùm facilè deinceps pathemata anteà memorata ingruunt, sed etiam post longioris sèpè temporis intervallum tandem talia consequuntur, nisi fortè interim vel per agiliorem vitæ methodum in viris, vel per fœtuum gestationes, vel per lochialia puerarum purgamenta, vel denique per hæmorrhagias vicarias, per hæmorrhoides, varices aut nares in fœminis prædominantि Plethora detrac-tum fuerit.

En rationem, quare HIPPOCRATES Sect. V. Aphor. XXXIII. pronunciet, *Menstruis deficientibus sanguinem è nari-bus fluere bonum esse.* Item ecur Hic Ipse Auctor pergit Sect. VI. Aphor. XXI. scribere: *In insanientibus si varices vel hæmorrhoides supervenerint, insanie solutio.*

§. XIII.

QUODSI itaque, ubi sanguinis boni abundantia præsto est, sanitati seriùs ocyùs præjudicium afferens & noxam, consultam, imò necessariam esse ejusdem diminutionem, non tantùm sana ratio dicit, sed & hanc optimè fieri immediatâ sanguinis superflui exoneratione Ipsa Natura optima morborum tam imminentium, quam præsentium Medicatrix per hæmorrhagias spontaneas in locis suprà memoratis optimo

B

cum

cum successu contingentes satís supérque commonstret, quidni Medicus Practicus ad doctam Ipsius Naturæ (cujus Ille Minister passim audit) imitationem, ubi Plethora fœcundam illam plurimorum, eorūque gravissimorum morborum matrem & architectam ex suis signis præsentem adesse cognoverit, Naturam autem ob causas mox anteā assignatas in spontaneā sanguinis copiā peccantis exoneratione vel præpeditam, vel impotentem adverterit, per vicariam artificialem sanguinis abundantis imminutionem morbos à Plethora oriundos vel imminentes præservare, vel actu præsentes curare, sīcque non tantum veri Naturæ Ministri, sed & docti ac prudentis, nimirum juxta rectam rationem, faciem præferente Naturā, operantis, & ita curas suas in notabile patientum ejusmodi emolumentum judicose adornantis Practici nomen ac laudem sibi comparare allaboret.

§. XIV.

Quartuor autem, quibus sanguinem superfluum immeditatē in corpore vivo evacuare didicerunt periti Chirurgi, per longam jamjam, si non omnem retrō annorum feriem ad nostra hæc usque tempora innotuere modi, nimirum Arteriotomia, Phlebotomia, Hirudinum sive sanguinarum applicatio, & demum scarificatio.

§. XV.

Loquebantur equidem priorum temporum Practici, in specie Galli de quintā insuper novā prorsus, & hucusque insolitā sanguinem non tantum quantitate, sed & qualitate peccantem evacuandi, alterandique Methodo, quam Transfusionem sanguinis ideo appellabant, eoquod esset artificiosa hujus liquoris ē corpore fano in ægrum derivatio, sanandis

fanandis quibusdam morbis à Plethora compositâ ortum trahentibus vel maximè proficua, imò ad totius temperamenti immutationem, sìcque ad infallibilem vitæ (prout Ipsi magnis buccis deprædicabant) in annos plurimos prolongationem sese extendens.


§. XVI.

JAM verò, ut novaturientes Hi remedii tam plausibilis Patroni illud, quod speculando conceperant, practicando adimplerent, sequentes adornabant encheireses:

Ægro venam in brachio secabant, & factæ huic aperturæ tubulum versùs cor respicientem applicabant; eodem momento in homine quoque sano venæsectionem in brachio instituebant, & aperturæ tubulum, sed versùs extremum manū directum inserebant, tubuli autem hi debebant ita esse apaptati, ut alter alterum excipere, hòcque modo sanguis è corpore sano in ægrotum derivari potuerit; in patiente conjungebant vel substituebant venæsectionem in altero brachio, ut educ̄to sanguine vitioso sanus liquor spatiū inveniret: Hanc operationem post aliquot septimanas reiterandam commendabant, & quidem eousque continuandam, donec patiens in totum esset restitutus. En Epitomen novæ hujus sanguinem superfluum imminuendi, & hunc vitiosum dextrè ac citò corrigendi encheireseos.

§. XVII.

Silentio interim hic prætereundum non est, quòd, quam recens hæc Methodus multo fortassis labore excoxitata, magno etiam conamine inchoata fuerit, tantum tamen absuerit, ut illa assensum, multò minùs applausum hucusque invenerit, ut potiùs edito per universam




Galliam edicto Transfusio sanguinis publicè prohibetur.

§. XVIII.

NEque id mirandum, enimverò præterquam, quòd novitiam hanc Methodum pluribus expositam esse difficultibus atque periculis, docta ratio jamjam à priori dictaret, experientia insuper à posteriori satis monstravit, quòd famosam hanc sanguinis transfusionem convulsivus, deliriosusque effectus in patientibus illis, quibus remedium hoc applicatum fuerat, subsecutus vix non semper vitæ finem fecerit.

§. XIX.

QUÆ cùm ita sint, de famosâ ac quintâ hâc sanguinem imminuendi, corrigendique Methodo planè præscindendum, & tantùm de quatuor illis, quorum superiùs mentionem feci, sanguinem superfluum evacuandi modis nunc porrò breviter in scribendo pergendum erit.



CAPUT

CAPUT II.
DE
ARTERIOTOMIA.

§. I.

INTER Methodos Chirurgicas quantitatem sanguinis superflui immediatè, citò ac directè evacuandi primitias ab antiquis jamjam temporibus sibi vendicavit Arteriotomia; Arteriotomiae autem nomine nihil subintelligitur aliud, quām sectio alicujus Arteriæ; sectionem talem Veteres Medici tantò pluris aestimabant, quantò minùs largiorē certis in casibus sanguinis profusionem pertimescebat; atque hinc credibile omnino est, priorum temporum Praetoris hanc ipsam satis consuetam, imò exteris etiam Gentibus & Nationibus admodūm familiarem fuisse, id quod confirmare videtur PROSPER ALPINUS, dum memorat, Ægyptiis Arteriotomiam in more positam fuisse; quin & Ipsum GALENUM, olim jam de hac specie sanguinem superfluum evacuandi mentionem fecisse legitur.

§. II.

Quanquam autem diffitendum non sit, Arteriotomiam in actuali sui administratione difficultibus quibusdam, forsan & periculis expositam esse, & illud tamen etiam omnino concedendum erit, quod Hæc Ipsa Arteriotomia à perito Artifice rectè, & sub debitis cautelis doctè administrata in affectionibus illis, in quibus subitanea, simultanea, & sensibilis sanguinis quantitate ac qualitate peccantis depletio

indicatur, Ex. gr. in affectibus Apoplecticis, intellige, sanguineis, Hemiplecticis, Lethargicis, Comatosis, Phreneticis, Paraphreniticis, nec non aliis internis Capitis inflammationibus gravioribus, quin & in pertinaci Cæphalæ, Hemicraniâ, Vertigine caducâ, Maniâ, & similibus utilitate suâ nequaquam careat.

§. III.

QUAM modò Ipsi Arteriotomiæ dextrè factæ in allegatis casibus concessi vim & efficaciam, eandem non solum sanæ rationi omnino consentaneam, sed & magnâ Virorum in Praxi Medicâ longè famosissimorum Auctoritate, multiplicis experientiæ fulcro subnixâ confirmatam esse, nemo non Practicorum facilem annutum dabit & consensum.

Videatur desuper MARCUS AURELIUS SEVERINUS de efficaci Medicinâ Lib. I. Part. II. pag. XL. Item legantur HILDANUS, SCHULTEUS, BOTALLUS, TULPIUS & SCHENCKIUS in suis observationibus.

§. IV.

DUÆ interim dantur Methodi Arteriotomiam administrandi, nimirum vel arteriam incidendo tantum, vel eandem planè transversim dissecando.

Incisio arteriæ damnsa admodùm est, imò verò periculosa ; duo autem præcipua sunt damna atque pericula, quæ arteriam aliquam incisam tantum, non autem totam transversim dissectam non possunt non insequi, nimirum, hæmorrhagia difficulter compescibilis, non raro ad mortem, vel (quod frequentius fit) ad animi usque deliquium continuans, & deinde hæmorrhagiâ etiam sedata à cedente tenuitate cicatricis Anevrisma.

§. V.

§. V.

A Signatorum horum damnorum & periculorum primum contingit, dum facta arteriae incisione recedentibus à se mutuo sensim plus partibus discessis, & retrotractis fibris disunitis nequeunt incisae arteriae extrema retrosilire, & se recondere sub partibus vicinis (obstant enim fibræ adhuc integræ, sibique cohærentes) Ergo nec fibræ orbiculares sic poterunt contrahi, ut arteriae incisæ vulnus claudatur; Igitur perget sanguis, si non ad mortem, ad summam tamen debilitatem usque effluere, idque tanto certius, quanto magis novimus, quod in arteria incisa resistentia ferè nulla, in reliquis autem vasibus adhuc integris haec eadem magna sati fit. En! quomodo ex simplici arteriae incisione hæmorrhagia difficulter compescibilis oriatur.

§. VI.

D Amnorum & periculorum alterum ac secundum, quod arteria incisa tantum involvit, est metus Anevrismatis fecuturi, quod tunc sine dubio emerget, quando in parte arteriae incisæ incipiet quasi rudimentum fieri cicatriculæ cūjusdam, per quam quidem contingit, ut effluxus sanguinis nunc debili adeò ipsius cordis vi moti compescatur; verum, postquam ipsius patientis anteā ita per incisionem arteriae, & hanc subsequam hæmorrhagiam enormem nimium debilitati vires nunc successivè redire, sicque sanguis arteriosus majori cordis impetu & impulsu moveri ceperit, locus hic incisæ arteriae debilior manens, quām est ejus reliqua pars integra, à sanguine arteriam vehementer distendente magis dilatatus, protuberabit, faciens Anevrisma, sive arteriae in parte incisâ dilatationem, cùm arteria incisa in hoc loco non amplius maneat æquabilis conicus canalis, sed in saccum extendatur.

§. VII.

§. VII.

TO tum hoc ut Artis peritus facilè intelligat, nec Oedipo, nec Hariolo hìc opus erit, si tantùm recogiter, quòd arteriarum amplitudo pendeat à duabus præcipiè causis, nempe à vi, quâ sanguis corde pulsus dilatare nititur arterias, & à resistentiâ laterum ipsarum arteriarum. Jam verò, si hæc arteriarum amplitudo mensuretur ratione compositâ ex ratione directâ impetûs sanguinis impulsî, & ex ratione inversâ resistentiæ laterum, evidentissimè mox patebit, quòd post factam arteriæ incisionem hâc debiliore redditâ in quâdam suâ parte, ibidem necessariò plus extendi debeat, &, cùm per hanc ipsam extensionem diutiùs persistentem magis semper magisque adhuc debilitetur arteriæ talis, in qua incisio facta fuit, locus, ratio in promptu est, unde ingentes adeò tumores Anevrismatici, quales attenti Auëtores toties factos fuisse observârunt, suos duxerint natales: subsequentur autem tumores ejusmodi Anevrismatici tantò certius, si arteriæ nunc incisæ debita compressio aut neglecta, aut non sufficienter & ritè peracta fuerit, sic námque tantum aberit, ut arteria lœsa consolidari queat, ut potius per impetum sanguinis arteriam singulis cordis iætibus distendentis non possit non Anevrisma insequi, quale quid fieri vel maximè observamus, dum infausto casu in flexurâ cubiti unâ cum venâ pertunditur arteria proximè adjacens, nec tamen idoneâ pressione vulnus arteriæ firmatum fuit.

§. VIII.

NEutrum verò horum incommodorum atque periculo-
rum metuendum erit ab alterâ illâ & secundâ Arterio-
tomen celebrandi Methodo, quando scilicet certis in casi-
bus arteria quædam non nimis magna, nec cordi admodùm
pro-

propinqua omnino transversim dissecta fuerit : Imprimis namque nullus metus est hæmorrhagiæ incompescibilis ; cùm, ubi arteria à perito Chirurgo omnino transversim dissecta fuerit, hæc ad utramque partem retrosiliens, se séque inter vicinas firmas partes molles recondens sibimet obturaculo sit.

Nec est , cur desuper aliquis multum scrupuletur ; Enimverò quis in principiis Anatomicis & Physiologicis ritè fundatus ignorat, quod, dum sanguis ipsius cordis vi & impulsu in arterias successivè semper angustiores redditas pellitur, in latera arteriarum incurrens illa ab axi canalis removeat, sicque earundem capacitatem adaugendo, eas tantò plus, cæteris paribus, dilatet, quantò major est resistentia circa fines arteriarum ; factæ huic arteriarum dilatationi resistunt fibræ illarum musculofæ orbiculares tali vi, ut de-nuò contrahantur in priorem dimensionem suam eo ipso momento, quo impellens cordis vis remittit.

Postquam igitur per arteriam planè ac integrè transversim dissectam notabilis copia sanguinis effluxerit, debilitatis inde vitæ superstitis viribus minuetur resistentia sanguinis à corde impulsu impetus, sicque primâ ac principalî causâ dilatationis arteriæ imminutâ prævalebit fibrarum orbicularium vis, per quam omni momento arteria disessa contrahetur, & ita sensim claudetur, hocque fiet eò citius, cùm fibræ longitudinales ob easdem causas plus contractæ longitudinem arteriæ incisæ breviorem faciant ; unde extrema arteriæ plenariè dissectæ retrosilient, & inter vicinas partes solidas sese recondentia harum mole ac pondere plus adhuc comprimentur, ac compressa angustabuntur.

En! ex quibus fundamentis rectè concludatur, statuaturque , quod à plenariâ dissectione arteriæ alicujus, quæ nec nimis magna est, nec cordi admodum propinqua, hæmorrhagia incompescibilis neutiquam formidanda veniat.

§. IX.

DEinde etiam ac secundò planè non est metuendum Anevrisma.

Duplicem ipsius Anevrismatis speciem longo jam tempore statuere Medici & Chirurgi, Cujus alteram Anevrisma verum, alteram spurium vocabant.

Anevrisma verum tunc audiebat, quando tunicæ arteriæ exteriore, illæsâ interiori, punctæ, incisæ, tusæ, distractæ aut erosæ impetu sanguinis appulsi ita dilatabantur, ut saccum formarent nunc majorem, nunc minorem, qui callosos parietes successivè accipiens pulsabat, colore rubello splendebat, compressus ferè evanescebat, laxatus redibat, arteriam suam multùm ampliabat, sicque vicina vasa comprimento hæc angustabat.

Recentiores Medici æquè ac Chirurgi (postquam Ipsis ex Anatomicis probè constaret, arterias tunicas habere satís respectivè crassas, quarum exterior & prima plerumque communis membranæ cavum corporis, per quod arteria pergit, investientis propago esse censeretur, secunda autem huic subjacens cellulosa, per quam vasa plurima arteriarum nutritioni famulantia decurrunt, cui tertia glandulosa dicta supponitur, forsan prioris pars, quarta, quæ sequitur, muscularis est, crassa & fortis, in plures lamellas divisibilis, fibris constans orbicularibus; ultima denique, quæ internum arteriæ cavum constituit, tenuis admodum est, ex fibris longitudinalibus conflata) retinuere hoc nomen Anevrismatis veri eò libentiū, quò magis scirent, quòd, dum sanguis vi cordis in arterias in statu naturali semper plenas pellitur, hæ per totum suū ambitum dilatentur æquabiliter, cui dilatationi postmodum resistit robur tunicarum arterias constituentium, unde fit, ut remittente cordis actione impulsivâ per vim fibrarum, præcipue orbicularum denuò arteriæ contrahantur in priorem suam dimensionem.

Quòdsi

Quòd si igitur in arteriâ quâdam tunicæ ejusdem exteriōres, illæsâ tamen manente interiore, à suâ cohæsione per punctionem, incisionem, tusionem, distractionem aut erosionem separatae, fibræque ejus, imprimis, orbiculares disunitæ fuerint, minuetur resistentia laterum, & cùm interim causa distendens eadem maneat, in illo loco, in quo tunicæ arteriæ exteriōres, non tactâ interiore, punctæ, incisiæ, tusæ, distractæ, erosæve sunt, dilatabitur arteria, mutabitur æquabilis figura canalis conici, expandetur locus ille debilitatus in saccum, & fiet ita Anevrismâ verum, propriâ vocabuli vi simplicem arteriæ dilatationem denotans.

A factâ plenariâ arteriæ cujusdam in transversum dissektionē Anevrismâ tale, quod hucusque descripsi, verum, nullo modo oriri posse, quivis æquus rerum arbiter tantò promptius judicabit, quanto magis noverit, illud solūm Anevrismatis veri causam esse, quod cohesionem tunicarum in quodam tantum arteriæ loco minuit.

Igitur perpetim verum manet, quòd integra arteriæ in transversum dissectio Anevrismatis hujus veri metum neutiquam incutiat, id quod paucis mihi probandum erat, & demonstrandum.

§. X.

PErscrutemur nunc ulteriùs, an post factam integrè in transversum arteriæ dissectionem nihil emergat, unde Anevrismatis, si non veri, saltem tamen spurii timor aut ingruat, aut immineat.

Per Anevrismâ spurium intelligunt passim Pathologi saltem arteriæ statum præternaturalem, in quo ruptis simul omnibus tunicis arteriam constituentibus contentus hucusque in his sanguis in partes vicinas effusus, neque tamenexeuns illas distendit, unde collectio fit extravasati cruxoris

continuò aucta, mollis, vix pulsans, livida, compressu vix evanescens, brevì putrescens, & gangrænam vicinorum faciens.

Ergò Anevrisma spurium tunc fit, si arteria quædam ita læsa fuerit, ut solutâ cohæsione laterum contentus in arteriæ cavo sanguis effundatur quidem, sed tamen cute integrâ manente, vel ejus vulnere per pinguedinem aut sanguinem coagulatum occluso coérceatur effusus ex arteriâ sanguis, qui viam in panniculo adiposo sibi faciens hunc replere, & in maximum subinde tumorem attollere affolet; id quod etiam haud difficulter conceptibile est, si quis perpendat, quod sanguine per arteriam hoc modo ruptam continuò expulso distendens moles eousque adaugeri perget, donec vel cutis cedere amplius non possit, vel vicinæ partes ulteriore sanguinis effusi in panniculo adiposo collectionem præpediant, vel coagulati sanguinis thrombus læsæ arteriæ aperturam præcludat.

En! unde factum, quod post validas contusiones magni tales tumores subinde orti, lividi, imò sœpè nigri à sanguine extravasato per cutim transparente ab Auctoribus hic & tunc observati fuerint.

Magnus Nostrus **GALENUS** de Anevrismate mentionem faciens, Cap. II. de tumoribus præter naturam de Anevrismate spurio sic scribit: *Arteriæ autem apertæ affectus Anevrisma vocatur, fit autem, quum illâ vulnerata ad cicatricem quidem pervenit circumposita cutis, manet tamen vulnus arteriæ nec coœuntis, nec cicatrice obductæ, nec carne obturatæ.*

Intelligit ex his, opinor, satís Benevolus Lector, quod, sicuti causa Anevrismatis spurii poterit esse, quidquid continuitatem canalis arteriosi solvit, salvâ interim manente cure, vel sic obturato cutis, si quod adsit, vulnere, ut sanguinis libero exitu prohibito, in cellulosam tunicam hic aggestus tumore distendat partes vicinas; ita præcipui


pui Anevrismatis spurii effectus sint, quod effusus hoc modo sanguis aliena loca occupans mole suâ vicinarum partium liberum exercitum præpediat, ac tandem ulteriori morâ corruptus tales acquirat acrimoniam, quâ inflammationes, gangrænæ & erosiones pessimæ fiant: Quanquam tamen negandum hic non sit, quod, si aëris accesus prohibetur, per notabile tempus effusus talis sanguis in corpore vivo possit manere, quin effectus ejusmodi deleterios producat, præsertim, ubi interim talia applicata fuerint, quæ putredini resistere valent.

§. XI.

Profectò, si quis ea omnia ac singula, quæ hucusque de utrâque Anevrismatis specie fusiùs assignavi, ritè perpenderit, nullus dubitare ausim, quin facile mecum eò consenserit, quod in arteriâ quâdam integrè in transversum discessâ tantum absit, ut aliquod Anevrisma pertimescendum veniat, ut potius per talem operationem dextrè factam omnis Anevrismatis utriusque formido procul abigatur.

§. XII.

Igitur, putem, nemo ultrà facilè mirabitur, quod ho-
dierni Medici æquè ac Chirurgi, quibus exactissima cor-
poris humani, partiūque illud constituentium structura ac
fabrica ex Anatomicis probè perspecta est, quique in solidis
principiis Mechanicis doctè fundati sunt, in casibus illis, in
quibus Arteriotomia præ aliis sanguinem superfluum eva-
cuandi Methodis magis indicatur, arteriæ cujusdam nec ni-
mis magnæ, nec cordi valdè propinquæ plenariam in trans-
versum dissectionem, rejectâ ejusdem in loco tantum quo-
dam incisione suadere ausint, feligentes hunc in finem ple-



rumque arteriam temporalem, ubi arteria pulsans facilius sentiri, dissectio commodiùs fieri, & postquam debita sanguinis copia effluxerit, compressio hujus arteriæ plenariè dissectæ ad substratam osseam cranii thecam impositâ laminâ metallicâ, adhibitóque simul debito spleniorum ac fasciarum apparatu, sic adornari, institui, firmarique potest, ut nullus vel haemorrhagiæ incomprehensibilis, vel Anevrismatis utriusque metus remaneat.

Atque hoc modo, & sub hisce cautelis, ubi instituta fuerit Arteriotome, inquit loco suprà citato famosissimus Medicus non minùs, quam Chirurgus SEVERINUS, gravissimos morbos aliis remedii frustrà tentatis sàpiissimè feliciter debellatos fuisse.

CAPUT III. DE PHLEBOTOMIA.

§. I.

Quemadmodùm in genere, quando nihil urget, sanguinem evacuare consultum non est, ita, si abundantia urgeat, imminutio ejusdem omnino indicatur.

Frequentissimus, hodiéque usitatissimus sanguinem superfluum evacuandi modus est Phlebotomia, sive Venæfictio.

In hâc sanguinem abundantem detrahendi arte Chinenses exercitatissimos æquè ac scrupulosissimos fuisse, refert KLEYERUS in suâ Medicinâ Clinicâ.

Hoc

Hodiernis temporibus, cùm mysterium Circulationis, vel (strictius loquendo) circuitus sanguinis nemini non Medicorum notissimum sit, non immerito quidem scrupulosus ille ac secundarius venarum nunc Hepaticæ, nunc Basilicæ &c. secundarum selectus, quem quidam cæteroquin tanto-perè recommendabant, rejicitur; habet tamen interim, ut ex Mechanicis principiis à priori, ita ab experientiâ à posteriori constat, iq; actuali Ipsius Phlebotomiæ administratione utilitatem quam maximam triplex illa in secundis venis differentia à Practicis probè attendenda, nimirum

Primo ratione capacioris, aut contrâ angustioris venæ, cui respondet amplior vel arctior ejusdem apertio.

Secundo ratione venarum in superioribus aut inferioribus corporis partibus secundarum.

Tertio denique ratione ipsius temporis adornandæ venæsectionis.

§. II.

Sic primò novimus, quod capacioris, vel contrâ angustioris venæ apertio inferat velociem, aut vicissim tardiem sive minorem alterationem, ad quam etiam juvat, multumque contribuit factæ ipsius aperturæ capacitas, hæc namque si latior fuerit, etiam in angustiore respectivè venâ tantum sanguinis unâ mensurâ temporis effluere observamus, quantum per arctiorem in vase, licet paulò majore experimur.

§. III.

Quanti autem secundò Medici Practici intersit probè nosse, an in superioribus, an in inferioribus corporis partibus secunda sit vena, ex eo solo mox dispalescit, quod pro variâ in partibus variis factâ venæsectione varius etiam, & non idem sequatur effectus, sed longè aliis.

Sic

Sic quem Practicorum latet, quod, si in negotio hæmorrhoidal aut neglecto, aut justo parcius procedente, aut planè suppresso, similiter etiam in mensium ac lochiorum fluxu eodem modo peccante sanguis in superioribus corporis partibus, in debitâ quamvis quantitate perperam emissus fuerit, pessimi insequantur effectus, totum intentæ curationis negotium disturbantes, pervertentésque, quod utique factum non fuisset, si vena in partibus inferioribus secta fuisset.

En! quām evidens sit, & velut palpabile, plurimi interesse Therapevtæ, ut noscat, quibusnam in partibus instituenda veniat Phlebotomia.

§. IV.

Tandem etiam ac tertio in administranda venæsectione respectus est habendus ad tempus: Quis enim, amabo! prudentum Practicorum facilè suaserit, ut in morbo aliquo, Ex. gr. acuto sub ejus statu venæsectio fieret, nisi fortassis urgens necessitas id specialissimè juberet. Item quis eò temeritatis ac audaciæ devenerit, ut in ipso convulsionum, spasmorum, motuum epilepticorum, passionum hystericalium & similiū paroxysmo ac exacerbatione venam secandam esse statueret.

En! quare meritò, quando vena secunda est, respectus habendus sit ad tempus.

§. V.

Usum sive finem, qui per Phlebotomiam intenditur, triplicem passim statuunt Auctores, nimirum
Primò simpliciter evacuatorium, quando absque ullo alio respectu ad Plethora^m tantum imminuendam Phlebotomia instituitur.
Secundò

Secundò Derivatorium, ubi in viciniâ partis affectæ vena secatur, sic Ex. gr. in anginâ raninas secant, Peripneumonæ per venæsectiones in brachio subveniunt &c.


Tertiò Revulsorium, quando vena in partibus magis remotis secatur, ita Ex. gr. si nimius raptus sanguinis (ut cum GALENO & BOERHAAVIO loquar) sit, urgeatque ad Caput, obstructis partibus inferioribus, quale quid in melancholicis, hypochondriacis, ac maniacis non infrequenter fieri affolet, in pede vena inciditur; cùm vicissim in excessivo mensium, lochiorum & hæmorrhoidum fluxu, cæteris paribus, venæfectio in brachio benè admodùm instituatur.

§. VI.

QUÆ in ipsâ Phlebotomiâ feliciter absolvendâ observandæ veniunt encheires & cautelæ, potiores ferè erunt sequentes:

Prima. Quando Chirurgus instrumentarius Phlebotomiam actualiter præsumere cogitat, eligat pro hoc negotio venam magis apparentem, aut reddat hanc talem partim ligaturâ, partim calore, in brachiis quidem fricatorio, in pedibus verò lavatorio; dijudicet etiam in illis, qui tenebriora habent vasæ, horum conspicuitatem, quatenus à solâ spissitudine cutis superstratae, aut propriâ ipsorummet elevatione pendet, ubi quidem molliter carnosis personis, quas vulgò sanguineas appellant, ob exitatem vasorum, & adhuc latitationem sub pinguedine operosum fatigatus & anceps est, venæsectionem instituere, nisi in talibus locis, ubi minus tectæ & involutæ jacent venæ, quale quid plerumque contingit in medianâ, aliisque.

Secunda. Artifex instrumenta adhibeat acutissima, sive lanceola sit, sive punctorium illud instrumentum, quod hodie einen Schnäpper vocant; præterea autem talia instrumenta



menta ita affebrè in suâ acie acuata esse debent, ut extremitas tenerrima quidem sit & acutissima, mox tamen paulò crassior existat, quo sit, ut præcaveatur nimis prompta fractura aut incurvatio acuminis, dæß es sich nicht umblege.

Tertia. Lanceolâ si utatur Chirurgus, apicem, ubi semel immergit, non sustollat, sed potius in directum antrorsum eundem placide promovendo sufficientem aperturam perficiat, cæteroquin námque exquisitus sensus doloris facile sequitur.

Quarta. Caveatur maximoperè, ne instrumentis, quibus brevi antè contagioso aliquo morbo (sive chronicus is sit, sive acutus) laborantium venæ apertæ sunt, alii etiam contrectentur, priusquam illa sollicitè & diligenter detersa fuerint.

Quinta. Attendat præterea, quisquis Phlebotomiam administrare præsumperit, ne per fortiorem ac simultaneam puncturam, aut importuniorem instrumenti secantis intrusionem non tantùm venam, quam secare animus erat, pertundat, sed & substratam forte arteriam graviter lædat, unde hæmorrhagiam enormem, aut Anevrismam sequi necessum est; pariter etiam operæ pretium omnino erit, priusquam vena fecetur, ut iteratis vicibus probè exploretur, an non Aponevrosis super venam fecandam extensa ejusdem sectiōnem hoc in loco prohibeat, cautelâ námque hæc neglectâ, si nihilominus venæsectio hæc facta fuerit, pessimis symptomatibus ansa suppedabitur certissima.

Sexta. Post factam ritè ac feliciter Phlebotomiam quemadmodum venæ deligatione opus est, ita hæc non fiat nimis strictè, cæteroquin metuendum erit, ne, idque præcipue in personis carnosioribus sanguineis ecchymosis facile sequatur, cui tamen, ubi fortassis hæc secuta fuerit, per decocta ex rad. Ireos flor. Symph. Sigill. Salom. Bryon. Herb. Hyssop. Geran. Chærefol. Agrimon. Alchymill. florar-

rosar. & similibus constantia: Item per spiritum vini camphoratum & crocatum &c. &c. oxyūs subveniendum erit.

Septima. Cui secta est vena, si in animi deliquium (quale quid in subjectis delicioribus, sensilioribusque, vel maximè verò in his, quæ Hæmophoba sunt & dicuntur, non infreueenter, quanquam moderata tantùm sanguinis quantitas emissa fuerit, fieri observamus) incidat, in pavimentum supinus reponatur, & admoveatur naribus acetum vel simplex, vel Medicatum, Ex. gr. Lavendulatum, Ruthaceum, &c. sive, quæ ad manus mox omnium habetur, optimæ etiam insuper efficaciæ est, aspergatur in faciem aqua frigida, per cuius aspersionem venæ, utpote quas in superficie corporis positas esse novimus, contractæ contentum sanguinem suum versùs cor derivabunt, hoc autem sic irritatum contrahetur, & ita citò ad se redibit patiens Phlebotizans.

CAPUT IV.

DE

HIRUDINUM APPLICATIONE.

§. I.

Tertius modus ventilandi Plethoram, sive educendi sanguinem superfluum succedit per Hirudinum sive sanguisugarum applicationem.

Hirudines, sive sanguisugæ non adeò ignota animalcula (vel prout vulgus loqui amat) insecta sunt, partim in ipso mari, partim in aquis dulcibus, præsertim verò stagnantibus & quiescentibus reperibilia; differunt interim in genere inter se, quod marina magnitudine non tantùm, sed & ipsâ

sui figurâ à palustribus planè distincta appareant, sicut id ipsum apud ALDROVANDUM pluribus legendum est.

§. II.

UNde Hirudines nomen hoc suum naestæ sint ac mutuæ, an ab adhærendo, utrum (quale quid plurimi Autorum avidè contendunt, defenduntque) à fugendo, non adeò magni interesse videtur, sufficiat potius nōsse, quod Hirudines à Latinis sanguisugæ appellantur, æquè ac nomen βδέλλα apud Græcos ab ipsâ sui indole, nimirum sanguinis suctione animalculis hisce impositum esse, plausibilior sit opinio.

§. III.

Illud verius de Hirudinibus affirmari, statuique potest, quod sint animalcula reptilia, eoque ipso vermium classi à quibusdam accenseri solita, oblonga, sed non æquè rotunda, quam potius compressa sive lata, transversis lineis interstincta, capitulo latiusculo, & ore subrotundo, ac veluti calloso asperoque, quod dentibus, vel (ut alii volunt) aculeo instructum esse scribunt. En totum, quod de Hirudinum prosapiâ constat.

§. IV.

Cæterum de Hirudinibus per ipsam autopsiam æquè ac experientiam compertum habemus, quod sint animalcula diversæ speciei & magnitudinis, quorum alia benigna, maligna sive virulenta alia audiunt: Benigna sunt & censentur, quæ colorem habent viridem, & dilatè flavescentem in dorso, in ventre autem paululum rufescensem, ac in aquis

aquis puris & fluviatilibus reperibilia; Maligna econtrà & vicissim dicuntur ea, quæ spectantium oculis in se exhibent colorem satis ruffum, nigricantem, aut valde fulvum, & in dorso maculas obscurè livescentes, in aquis stagnantibus impuris & putridis potissimum commorantia.

§. V.

EX his ad applicationis usum talia eligere pro securiore & feliciore effectu impetrando consultum est, quæ in aquis non purè paludosis degunt, neque penitus nigricantia aut viridescentia existunt, sed quæ dilutioris sunt coloris.

§. VI.

NUtriuntur hæc semel capta diutiùs in purâ fontanâ scaturiente, perpetim renovatâ, aut actu saliente, injecto subinde frustulo sanguinis vitulini, vel bubuli grumosi.

§. VII.

ALiquot interea illorum asservari possunt per dierum duorum aut trium spatium in pyxide ligneâ vacuâ ac munida sine pabulo eum in finem, ut tanto avidius postmodum aggrediantur, posthac autem in suam aquam reponi ac cibari debent, cum interim alia ad eundem usum ita præparati ac adaptari possint.

§. VIII.

ENcheiresis, quæ pro loci, cui Hirudines applicare animo sedet, adaptione adhiberi solet, non omnibus una, eadémque est; Alii námque partem, cui Hirudines adhæ-

rere debent, leviter priùs lanceolâ aut scalpello vulnerant, ut una vel altera guttula sanguinis effluat, quæ tamen methodus, cùm dolorifica ferè sit, nec hinc omnibus commoda, approbationem & applausum non invenit; Alii lac sumunt, hòcque locum, ad quem Hirudines affigendæ sunt, aspergunt; Alii sese rem hanc meliùs facturos autumant, si in applicationis parte frictionem instituant cum panno calido paulò asperiore ad rubefactionem usque, successivè tamen peragendam.

Optima autem fortassis methodus in eo consistere videatur, ut lavetur ante omnia locus per spongiā iteratis vici bus aquâ tepidâ madidam redditam, ut hoc modo oolidus sudor, aliisque sordes omnino abstergantur, pârsque hæc planè munda evadat.

§. IX.

DE Hirudinum suetione illud memorandum, quòd, si notabilis quædam in sanguine, aliisque ab hoc natales suos ducentibus humoribus præsto sint, Hæ difficillimè aggrediantur; unde etiam observatio non infrequens docuit, quòd in hæmorrhoidibus cæcis tumentibus & protuberantibus duris, nisi admodùm maturè, ac velut in principio applicatæ fuerint, planè non fuxerint propter acrimoniam alcalinam in sanguine tali jamjam suppuraſcente emergentem.

§. X.

LOCA, ad quæ periti Chirurgi Hirudines applicare consuevère, vel maximè quidem variant, frequentissimus tamen, adeoque etiam usitatissimus est orificium intestini recti, quanquam interim inficias eundum non sit, quòd etiam certis in casibus retrò aures, ad tempora, ad scapulas, manus

manus pedesque, imo (prout AMATUS LUSITANUS id attestatur) ad ipsa etiam fœmellarum genitalia Hirudines applicari, circumstantiae quædam sicut indicare, ita & suadere valeant.

§. XI.


Quando applicatae sunt Hirudines, vel relinguntur, usque dum saturatae sponte deciderint, vel earum capitula cineribus aut sale consperguntur, unde ad contractio nem corpusculi sui, & partis arreptæ dimissionem necessitantur; simili ferè modo procedendum erit, ubi per accidens una vel altera ex applicatis ad loca hæmorrhoidalia Hirudinibus fortè in intestinum rectum irrepserit, injectio námque per syphonem aquæ tepidæ falsæ præcipuè acrioris illam mox ad redditum adigit.

Hirudines proficuum omnino ac plausibile ad sanguinis extractiones perficiendas esse instrumentum, ipsa jamdum Antiquitas Medica satè cognovit. Videatur ZACUTUS LUSITANUS in Historiæ Medicæ principio Lib. I. [Historiæ IV.

§. XII.


HAbet profectò Hirudinum sive sanguisugarum dextra applicatio locum quam maximè, quando artificiales aliæ sanguinis superflui evacuationes administratæ aut non sufficiunt, aut ubi ex unâ in specie parte sanguinem educi debere indicatur, quod commodissimè utique, & absque ullâ noxâ per Hirudinum applicationem à perito Artifice rectè formatam impetrabitur.

§. XIII.



§. XIII.

QUAMVIS verò plures, iisque varii sint affectus, in quibus Hirudinum applicatio egregiè planè conduit, vix tamen in quodam majorem æquè ac securiorem effectum habebit, quam in passionibus, tendentiis, & moliminibus hæmorrhoidalibus, affectibusque ab his dependentibus, Ex. gr. malo hypochondriaco, ischiatico &c. Legi desuper meretur doctissima Dissertatio Cl. STAHLI de sanguisugorum utilitate. Pariter lectu digna est TONERI observatio, quā ischiaticum Hirudinibus applicatis Curatum sistit, ubi docet, quod in affinibus affectibus, eoquod à neglecto, aut minùs succedente negotio hæmorrhoidalium plurimumque dependeant, ipsissima hæc evacuatio usum habeat maximum.



CAPUT

○ ○ ○

CAPUT V. DE SCARIFICATIONE.

§. I.

SUpereft tandem, ut in quodam velut compendio aliqua adhuc memorem de Scarificatione, ultimâ illâ ac minimâ sanguinem abundantem evacuandi Methodo.

Per Scarificationem educitur sanguis è corporis superficie, quod fit, dum Chirurgus vel Balneator per instrumentum appropriatum plura vulnuscula cuti simul infligit, & deinde per cucurbitulas flammæ priùs admotas sanguinem extrahit.

Igitur Scarificatio est eductio sanguinis tantùm è corporis superficie per vulnuscula cuti inficta.

Quisquis in Arte Anatomicâ versatus facilè intelligit, quare vulnuscula hæc ipsam cutim penetrare, ibidémque in venis sanguiferis per hanc copiosissimè dispersis, inquè gyros & anfractus abeuntibus solutionem cohæsionis facere debeant, cæteroquin enim sanguis strictè talis effluere nequaquam possit, id quod ab experimentis Ruyschianis nemini non satìs constat.

Profectò! quanquam laudatissimus Hic Auctor (Cui reverà orbis Medicus plurinia in acceptis referre debet) in injectionibus suis aliàs ferè semper felicissimus fuerit, illud tamen per injectiones suas utrù subtilissimas impetrare non valuit, ut in epidermide vasorum sanguiferorum præsentiam detegeret, demonstraréque.

§. II.

Profundiores Scarificationes, quales Testibus BONTIO & PROSPERO ALPINO in Medicinâ Indorum, solennes, imò familiares fuêre Ægyptiis & Indis, multum incommodo post se relinquunt, ulcuscula námque insequi solent molestâ admodùm, quibus sicut conducunt linimenta & inunctiones proportionatæ in genere, ita in specie oleum ovorum modico Camphoræ permixtum laudem in his meretur non exiguum.

§. III.

Scarificationes sæpiùs fieri, administrarique solent, quâm venæsectiones, semper tamen observando, quòd instrumentum, quo Chirurgus vel Balneator pro hoc negotio utitur, debeat esse satis acutum, ac ita constitutum, ut nemo, qui contagioso aliquo morbo laborat, mox anteà cum hoc scarificatus fuerit, quin priùs instrumentum sufficienter detersum sit & mundatum, quo factò securè denuò usurpari poterit.

§. IV.

JUvat verò factâ debito modo Scarificatione sanguinis af- & effluxum, si immediatè ante Scarificationem pars sca- rificanda linteo lævi, vel manu non nimis asperâ diu & latè fricetur; ante omnia autem abesse debet omne frigus nota- bile, interim tamen neque etiam approbandus est aestus ni- mius, præsertim siccus, utpote quem oppletivus infarctus liberiorem sanguinis exitum præpediens plerumque insequi- tur.

§. V.

§. V.

Moderamen in ipsâ flammæ applicatione ritè quoque ob-servetur, vehemens quippe flamma statim sub ipsius Scarificationis initium applicata in plethoricis corporibus fa-cile nimis impetuocè trahendo faciet infarctum prorsus op-pressorum, unde semper flammatum primò quidem mode-ratiorem, deinde verò paulò fortiorem adhibere consultum erit.

§. VI.

IN illis subiectis, quæ non tantùm sanguinis abundantia, sed & ejusdem spissitudine simul laborant, cùm spissior hic sanguis per levia vulnuscula, qualia instrumentum illud scarificatorium facere solet, ad votum exitum non inveniat (nulla quippe inter exiguae tales aperturas, & inter liquorem extrahendum æquabilis in hoc casu est proportio) necessarium omnino erit, ut ante Scarificationem talia præmittantur, adhibeanturque, quæ spissiorem sanguinem diluere, resolvere & attenuare valent, quo peracto locus ille, quem nunc scarificare cogitamus, aliquamdiu blandè fricandus, & aspersâ aquâ moderatè calidâ fovendus erit, ut sanguinis jam fluidioris redditi uberior ad partem scarificandam affluxus invitetur.

§. VII.

Eodem ferè modo procedendum, atque iisdem etiam re-mediis subveniendum erit, quando in Scarificatione san-guis non processerit, sed ichor tantùm loturæ carnium similiis ex factis vulnusculis effluxerit, recommendando tamer-simul ante Scarificationis instituendæ tempus motum corpo-ris paulò generosiorem.

§. VIII.

Quodsi Scarificationes dudum jam celebratae fuerint, & sic in quandam velut consuetudinem abierint, nullo modo hæ simul & semel omittantur, vel enim recrudescent symptomata priora, vel novis spasticis, aliisque pessimis moliminibus anfa suppeditabitur certissima.

§. IX.


Rectum ac dextrum Scarificationis usum recommendant suadentque passim Practici in efflorescentiis faciei varoideis Gutta rosacea vulgo dictis, in Ophthalmis saepius recrudescentibus, in doloribus capitidis tendentibus magis & gravantibus, quam lancinantibus, in tinnitu aurium cum hebetudine auditûs, in parotidum inflammatoriarum recursu, in scapularum doloribus compressoriis, in pertinacibus affectionibus Spasmodico-Rheumaticis, in pleuritide spuriâ &c. &c.

Atque hæc sunt, quæ de Scarificatione breviter memoranda erant.

Alpha deinde & Omega Dissertationis hujus meæ constitutæ seria ac devota Gratiae Divinæ imploratio, ut labor hic meus qualiscunque cedat ad majorem DEI Gloriam, proximique salutem, id quod ultimatus Artis Medicæ scopus est, &

F I N I S.

SEMI-



SEMI-CENTURIA THEOREMATUM MEDICORUM.

I.

Corporis humani fabrica quemadmodum ex partibus firmis constat & fluidis, ita hæ ambe corporis creati sunt principium constitutivum.

II.

Inter partes firmas corpus humanum constituentes nihil simplicius concipi potest fibrâ simplicissimâ.

III.

Fibrâ simplicissimam passim vocant illam firmam corporis humani partem, que secundum longitudinem extensa latitudinis suæ partes habere videtur nullas.

E 3

IV. Non

IV.

Non ineptè equiparatur fibra simplicissima Lineæ Geometricæ, quæ definitur esse longitudine latitudinis expers.

V.

Fibra iatut longa fuerit, semper tamen simplicissima audit, modò nullam habeat latitudinem.

VI.

Constat nimirum fibra simplicissima ex partibus minoribus juxta longitudinem sibi mutuo appositis.

VII.

Partes istæ fibram simplicissimam constituentes, ubi non amplius & ulterius sunt divisibles, fibræ elementa audiunt.

VIII.

Elementum autem dicitur minima pars rei illius, cuius est Elementum.

IX.

Fibra ultima est corpus merè terrestre, id est, tale, quod nec in aquâ solvitur, nec ad ignem fluit, sed fixum perstat.

X.

Cohæsio elementorum fibram constituentium jam adaugeri, jam imminui potest ac debet.

XI. Cer-

XI.

Certus interim ac determinatus in fibris nostris cohæsionis gradus requiritur, qui, ubi aut justò major, aut debitò minor fuerit, morbum faciet.

XII.

Vasa corporis nostri quò sunt firmiora, consequenter plus agunt, eò citior & melior fit subactio ingestorum in naturam nostram.

XIII.

Necessum tamen est, ut vasa nostra non sint nimis rigida, sed cedere queant impulsis liquidis.

XIV.

Duo sunt præcipua media, quibus conspirantibus crudum ingestum in substantiam nostram convertitur, nimirum primò admixtio in notabili copiâ humorum jamjam coctorum ad pauxillam quantitatem Chyli crudi, & secundò actio solidorum in contenta fluida.

XV.

Debilitata solida si non possint propellere distendentia fluida, fit stagnatio.

XVI.

XVI.

Otium nimium corpus humectando illud debile reddit, dum econtra labor proportionatus, cæteris paribus, illud robustum efficit.

XVII.

Pariter vapor aquæ tepide ad tempus notabile continuatus fibras multum debilitat.

XVIII.

Pro nutriendis infantibus optimum est lac humanum, ut-pote naturæ nostræ magis analogum.

XIX.

Lac humanum, ut bonæ sit notæ & qualitatis, debet esse lac fœminæ sanæ, quæ salubri motu corpus exercens viçtu laudabili utitur, integroque etatis flore viget.

XX.

Pro tenellis infantibus proficuum est, ut lac immediatè suggant ex mammis, eoquod lac hoc modo suctum omnibus suis particulis subtilissimis maximè nutritivis dives sit.

XXI.

XXI.

Defectum lactis humani aliquatenus supplet primò lac asinum, deinde caprillum, ac tandem vaccinum.

XXII.

Ut ex Chylo fiat liquidum humanum, requiritur pulmonis præcipue, & reliquorum viscerum ac vasorum vivida actio.

XXIII.

Fibrarum elasticitas in eo consistit, quod hæ extendi quidem queant, sed tamen ablatâ vi extende ad priorem capacitatem redeant.

XXIV.

Si fibra à quacunque causâ nimis debilitata fuerit, id est, si fibræ partes se invicem minus valido nixu trahant, necessariò minuitur ejus elasticitas.

XXV.

Quæ nudo oculo sese præsentat fibra muscularis, microscopio, vel oculo armato lustrata fibrarum minimarum fasciculum exhibit, manifesto documento, non tantum vasa majora, partesque singulas corporis nostri ex infinitè parvis similibus componi, sed & musculum quemvis in specie ex minoribus pluribus constare.

F

XXVI.

XXVI.

Talis partium majorum ex pluribus similibus compositione
ad flexilitatem omnino necessaria est.

XXVII.

Qui abutuntur potibus tepidis aquosis, fibras accipiunt
debiles & flaccidas.

XXVIII.

Ut musculi debitam flexilitatem, quae ad motus exercitium
facile & constans requiritur, habeant, retineantur
que, vaginalis oleosis undique vestiuntur.

XXIX.

Pariter ne rigescant ligamenta, attenuatum medullare
oleum illis affundi debet.

XXX.

Oleum hoc in decrepitate senectute deficiens, causa est fibra-
rum rigiditatis.

XXXI.

XXXI.

Indicata ex cognitâ morbi indole, & probè perspectis causis Practico perito mox dispalescunt.

XXXII.

Corpore mutato mentem in suis cogitationibus verè mutari, ex eo solo convincimur, quòd exemplum non unum profet, in hominibus hucusque doctissimis, si nunc organa sensoria in his vitiata sint, imaginacionem depravari, memoriámque imminui.

XXXIII.

Morbi in sanitatem mutatio, quam Ars Medica facit, fit per Diætam, Medicamenta, & Chirurgiam.

XXXIV.

Therapevtæ plurimi interest, Pharmacorum indolem & attributa probè nosse.

XXXV.

In prudente Medicamentorum ordinatione & directione plurimum hæret difficultatis.

XXXVI.

Quæcunque corpori vivo ingeruntur, vel eidem applicantur, illud mutant, vel ab eo vicissim mutantur.

XXXVII.

Qui fibras habent debiliores, his notabile auxilium fit, si panem bis coctum vinis rubris madidum saepius usurpent, motumque corporis proportionatum conjungant.

XXXVIII.

Si quis Medicus Practicus corpora debilia reficere cogitet, caveat, ne cibi nimia copia simul & semel ingerantur.

XXXIX.

Solidorum in fluida actio & reactio multum instauratur per frictiones.

XL.

Frictiones jejuno homini per totum abdomen pannis asperis factæ viscerum chylopœorum inertiam quodammodo corrigunt.

XLI.

XLI.

Valent frictiones fortiores diu continuatæ febrem excitare.

XLII.

Tenellis infantibus moderata in cunis agitatio insigni est emolumento.

XLIII.

Quando in languidis vires redire incipiunt, tunc expedit quidem corpus motu musculari firmius reddere, sed tamen incipiendum erit à lenissima ambulatione, & demum sensim pergendum ad majora corporis exercitia.

XLIV.

Inter corporis exercitia præprimis prosunt ea, quæ, dum corpus movent, mentem simul delectant.

XLV.

Quidquid fibrarum distractionem præpedit, causam fibrarum debilitandarum tollit.

XLVI.

*Fasciæ parti à sero copioiore nimium debilitatæ ac disten-
tæ ritè applicatæ supplent aliquo modo id, quod de-
ficiens fibrarum nimis distenterum robur facere non
valet, id est, nimiam vasorum dilatationem præpe-
diunt.*

XLVII.

*Sic, quando in Ascite per famosam illam operationem Chi-
rurgicam, quæ Paracenthesis abdominis audit,
aquosa colluvies educta fuit, oportet, ut circumdu-
ctis debitè fasciis pendulum abdomen comprimatur,
ac constringatur, cæteroquin námque, dum necessa-
riâ hâc constrictione male neglectâ residuæ serositates
in partes abdominis nimis laxas ac pendulas fortiter
irruunt, metus est, ne morbus prior hydropicus
citiùs recrudescat.*

XLVIII.

*Debilis ergò nimia fibrarum non tantum per debitum re-
rum non naturalium ac medicamentorum usum, sed
& per Chirurgica remedia, in specie per fasciarum
prudentem circumductionem, cæteris paribus, ad-
juvari potest.*

XLIX.

XLIX.

Quodsi fibrarum elementa debili nimis cohæsione unita
morbum fecerint, requirentur talia remedia, quæ
corpori applicata facient, ut fortior fiat illa cohæsio.

L.

In curâ pedis fracti nunc ritè deligati necessum est, ut
Chirurgus factâ reunione subinde articulos hujus par-
tis leviter flectat, ceteroquin patiens post curam
habebit articulationes illas immobiles, cùm ligamenta
nullo articuli motu per notabilem temporis moram di-
stracta rigida fiant, & velut indurescant.

O. A. M. D. G. & B. V. M. H.



XIX

qui n'ont pas de papa et de maman
qui n'ont pas de papa et de maman

qui n'ont pas de papa et de maman
qui n'ont pas de papa et de maman
qui n'ont pas de papa et de maman
qui n'ont pas de papa et de maman

GARDER

